

SERMO MAGISTRI IOANNIS HVS, HABITVS IN SY.

NODO IN CVRIA ARCHIEPISCOPI PRAGENSIS,
ANNO DOMINI M. CCCC. V. DE SVMMO
MANDATO IN LEGE, MATTH. XXII.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &
ex tota anima tua, & in tota mente tua,

II.



IN OMNIBVS ME DEFECTVOSVM REPERIENS, contremisco uerba legis Domini ore polluto proponere, quibus spiritus sancti gratia posset corda fidelium lumine gratuito illustrare, quia peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iusticias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Psalm. 49. Et cum non sit sanitas in carne mea, nec est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum: quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus graue grauatae sunt super me, Et putruerunt, & corruptae sunt cicatrices meae à facie insipientiae meae. Psalm. 37. Imò circumdederunt me mala, quorum nō est numerus, Quid faciam igitur? certe dicam cum uiro sanguinum, sed in infinitum miserabilior dicam: Domine Deus ne proicias me à facie tua, & spiritum sanctū tuum ne auferas à me. Sed redde mihi leticiam salutaris tui, & spiritu principali, id est, spiritu sancto, qui est tecum idem Deus, confirma me. Quia tunc docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. Psalm. 50. Confirma ergo Deus tuo spiritu, sine quo uoces cassae redduntur, & corda arida perseuerant. Dum autem adest tuus dulcis spiritus corda irrigans, replet ea per intelligentiam, ipsa purificans à peccatis. Quis namque mundat corda humilium, nisi septiformis spiritus? Quis docet corda simplicium, nisi quem misit unigenitus Dei filius à patre, ut doceret piscatores simplices omnem Ecclesiae necessariam ueritatē? dicente ipso unigenito Dei filio, Ioan. 16. Ille spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatem. De quo spiritu dicit beatus Gregorius in Homelia Pentecostes, sua per illo uerbo Ioan. 14. Paracletus autem spiritus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia. Libet, inquit beatus Papa Gregorius, oculos fidei in uirtute huius spiritus sancti attollere, atque sparsim patres noui ac ueteris testamenti considerare. Ecce apertis eiusdem oculis fidei Dauid, Amos, Danielelem, Petrum, Paulum & Mattheum intueor, & sanctus iste spiritus qualis sit artifex considerare uolo. Sed in ipsa consideratione mea deficio, Implet namque Citharedum puerum, & Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium Sycomoros uelliantem, & Prophetam facit. Implet abstinentem puerū, & iudicem senum facit. Implet piscatorem, & caput Ecclesiae facit. Implet persecutorem, & Doctorem gentium facit. Implet publicanū, & Euangelistam facit. O qualis est artifex iste spiritus, nulla ad discendum mora agitur, in omne quod uoluerit, mox ut tetigerit, docet, suumque tetigisse docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat, abnegat repente quod erat, exhibet repente quod non erat. Haec sanctus Gregorius.

Cum ergo ille spiritus Domini sic prompte corda purificat, reuocat errantes, & simplices repente illuminat, ut suae gratiae sint capaces: Restat ut ego peccati hebetatus caligine, & omniquaque ignorantiae circumdatus penuria, una uobiscum in unitate eiusdem spiritus Trinitatis sanctissimae inuocem auxilium per mediatorem Iesum Christum Dominum, qui est uia, ueritas, & uita, Ioan. 14. Via ducens à scelere, ueritas dirigens in opere, & uita uiuificans charitate. Quapropter fiduciam habentes ad Deum, per Christum rogemus Deum patrem humiliter, ut det potentiam Deum filium, ut praestet sapientiam, Deum spiritum sanctum, ut donet benevolentiam mihi ad loquendum utiliter, & uestra charitati ad audiendum fructificare uerbum suum, intercedente gloriosa uirgine matre Domini Iesu Christi.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua.

Scribitur Matth. 22. Cap. Et currentis Dominica officio decantatur. Cum fundamentum nemo potest alia ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, teste Apostolo 1. Cor. 3. patet, quod domus spiritualis Ecclesiae habet pro fundamento stabili fidem Christi, pro parietibus spem uitae, pro tecto firmissimo charitatem. Super hanc quidem Petram, quae est fundamentum, quo aliud nemo potest ponere stabilius, fundatur Ecclesia

Donum spiritus
sancti.

Thema sermonis.

Fundamentum, parietes, tectum Ecclesiae

ecclesia Iesu Christi. Spes autem secundum quatuor parietes erigitur, sperans omnia mala preterita uirtute passionis Christi cedere sanctorum ad gloriam, omnia futura in beatitudine, uirtute progeniture Christi, cedere sanctis ad beatitudinem, omnia supra hominem fruenda, & omnia citra homines feliciter utenda, ex quibus crescit charitas tegens spirituale edificium, & consummans perfectionem Ecclesie Iesu Christi.

Ad istam autem constructionem debet quilibet catholicus attendere, sed clerus praesertim constructioni diligenter insistere, & ad sui contrarij destructionem fortiter laborare. Constructio autem huiusmodi non consistit in bonorum temporalium appropriatione fluida, sicut auari ambiciosi q; Clerici existimant, sed in uirtutum accumulatione, secundum imitationem Domini Iesu Christi. Sicut proportionabiliter, ut Ecclesia melioratur uirtutibus, sic plus edificatur Christo placide, & e contra.

Ne autem sophisticetur de qua Ecclesia est praesens locutio, pro euidencia est sciendū. Quod Ecclesia uno modo est domus materialis Deo consecrata principaliter, deputata multitudini hominū, ut in ea extollant Deum suum, ut loquitur apostolus 1. Cor. 11. dicens: Nunquid domos non habetis ad manducandum, aut Ecclesiam Dei contemnitis, scilicet in ea turpiter manducantes. Et talium Ecclesiarum sunt distinctiones multiplices. Vt alia Metropolis, alia Cathedralis, alia Parochialis, alia Oratorium uel Capella.

Secundo modo Ecclesia accipitur Metonomice pro contentis, siue sint spiritualiter ministrantes inibi, qui uocantur famosi uiri Ecclesiastici, siue quicumq; fideles laici, aut clerici. Et tot sunt gradus Ecclesiarum huiusmodi, quot sunt congregationes fidelium, ut alia dicitur Romana Ecclesia, ut Papa cum Cardinalibus, cum intrat per ostium, & Christum Dominum imitantur in uirtutibus: alia Pragensis, ut Dominus Archiepiscopus cum Clericis maioribus, si intrantes per ostium sacramenta Christi porrigunt, in humilitate, in paupertate, in castitate, misericordia, & patientia Christum animarum episcopum imitando. Quod si utraq; supradicta congregatio in iam dictis degenerat, tunc ex ueritatis testimonio sunt fures & latrones, Ioan. 10. Et per consequens sunt Ecclesie Antichristi. ¶ Tertio modo Ecclesia est praedestinatorū uniuersitas & illa uocatur corpus Christi mysticum, sponsa Christi, & regnum caelorum: Et sic loquitur Apostolus Ephe. 5. Viri inquit, diligite uxores uestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Et Augustinus tertio de Doctrina Christiana Ca. 93. Et Decretum post eū 32. questione 4. De Poenitentia distinctione 1. Ca. Ecclesia, & de Poenitentia distinctione 4. Ca. Si ex

Constructio Ecclesie Christi non in bonorum temporalium, sed in uirtutum accumulatione consistit. Ecclesie uocabulū uarie accipitur.

bono, & in pluribus alijs locis. ¶ Sic autē dicta Ecclesia bipartitur, ut una pars est Ecclesia triumphans, quae est multitudo praedestinatorū regnantū in patria. Dicitur autē triumphans, quia in uicijs sathanae triumphauit. Secunda pars sanctae matris Ecclesiae est Ecclesia militans, quae est multitudo praedestinatorū uiuantū. Dicitur autē militans, quia contra carnē, mundum & diabolū exercet militiam Iesu Christi. Et istius Ecclesiae per spiritum sanctū electi episcopi sunt rectores, quos admonet Actuum 20. Apostolus dicens: Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo posuit uos spiritus sanctus regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo. Tertia pars sanctae matris Ecclesiae est Ecclesia dormiens, quae est multitudo praedestinatorū in purgatorio dormientium. Dicitur autem dormiens quia ibi non est in actu beatitudinem promerendi. ¶ Integratur autem sancta mater Ecclesia ex tribus partibus, quarum prima generalior & infima, est uulgus uiuens de labore licito, & ista pars est secunda, si seruet Dei mandata, & labori sit fideliter intenta. ¶ Secunda pars Ecclesiae, sunt seculares Domini, & illa pars perficiens quod incumbit eius officio est melior, sed periculosior. Officium autē eius est legem Dei defendere, Christi seruos protegere, et ministros Antichristi propellere. Haec enim est causa cur portant gladium, ut ait apostolus ad Ro. 13. Et secundum Augustinum: Rex est uicarius deitatis. Est autem ille status periculosus trifarie, quia pronus, ut superetur Superbia, cupiditate mundana, & acidiosa corporis uoluptate. ¶ Tertia pars Ecclesiae & optima, est Clerus, dum efficaciter praestit officio quod incumbit. Debet enim mundū relinquere, Ecclesiam uiuificare ut spiritus, & undiquaq; proxime sequi Christum. Si autem apostatat, nulla est peior uel austerior, nimirum Antichristus, quia ubi est gradus uel status altior, est casus grauior, ut patet de Lucifero, & de sacerdotibus qui crucifixi xerunt Dominū, & de Iuda. Sicut enim Moyses & Aaron sacerdotes primi legis ueteris erant optimi, & ceteri declinando erant pessimi, ut patet in fine successionis eorum. Sic in lege noua Christus & sui apostoli, sacerdotes erant optimi, sed declinando à primaeuitate, & sic ab imitatione Christi ad saeculū, sunt pessimi tempore Antichristi. Cū enim dicat Christus Matt. 16. Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suā, et sequatur me. Et apostolus Ephe. 5. dicit: Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, profecto Christiani debent imitari Christū Dominū, seruādo utramq; partē iusticiae, q̄a aliter in moribus forent degeneres, nō filij Christi, sed filij Antichristi, nec filij Dei, sed filij diaboli censerentur, teste Christo Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis. In hoc namq; quod homines non imitantur Christum in moribus, consistit tota transgressio uiatorum, dicente Beato Augustino in de uera religione, secundū quod nullū peccatum potest committi, nisi dum appetuntur ea quae Christus cōtempnit, uel fugiuntur, quae Christus sustinuit. ¶ Ex quo sequitur, quod omnes homines post Christū geniti, debent sub poenā dānationis perpetuae sequi Christū. Et q̄a nobilitas uirtuosi animi cōsistit circa difficile, ideo monemur, tanq̄ filij charissimi seq̄ Christū, dicēte Apostolo ubi supra: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Vbi Apostolus tres gradus filiorū Dei implicat et sic filiorū Domini Iesu Christi. Primus gradus iustis plebeis cōuenit, denominās ipso filios Dei charos. Secūdu gradus iustis saeculi potētatib. cōgruit, ipso denominās Dei filios chariores. Tertius

Ecclesiae diuisio;

subdiuisio.

Vulgus.

Domini seculares;

Clerus.

Sacerdotes in ueteri que testamento dei generantur.

gradus clero competit sequenti Christum propinquius, ipsos denominans Dei filios ualde charos. Sed quia in imitatione Christi gradus isti degenerat, igitur ordo in gradibus huiusmodi fit peruersus. Sape namque status plebeiorum infimus supererogat reliquos in uirtutibus excellendo. Quare dico accedendo propinquius, quod de quocunq; illorum trium statu chari filij Dei sunt, qui obseruantes precepta Domini, obediunt superioribus suis sicut debent.

Ex quo uidetur quod seculares presbyteri, & religiosi priuati Capellanatum honoris & exemptiones querentes ducti inobedientie spiritus, non sunt filij Dei chari, cum ut sic, nolunt suis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & Praepositis obedire humiliter in licitis, sicut debent. Cum tamen secundum legem infringibilem, immediati Christi Vicarij Petri apostoli debeant subijci omni humane creature propter Deum, et cui libet eos poscenti de fide & spe reddere rationem. Nam 1. Petri 2. dicit immediatus Christi Vicarius: Subiecti estote omni humane creature propter Deum. Et sequitur, quia sic est uoluntas Dei. Et quia non sic uolunt subijci superioribus in obedientia, quam ipsis promiserant, a quae eximunt, patet quod sunt uoluntati Dei contrarij, & per consequens non sunt filij Dei chari. Chariores autem filij Dei sunt, qui obseruantes precepta Domini, & quadam consilia, obediunt tam superioribus quam equalibus sicut debent. Charissimi sunt, qui obseruantes precepta Domini & omnia eius consilia, obediunt superioribus, equalibus & subditis sicut debent, et sic Christus, Baptista, & principales Christi apostoli fuerunt filij Dei charissimi, implentes omnem iusticiam, sicut dicit Matth. 3. filius Dei charissimus cum inquit: Sic decet nos implere omnem iusticiam. Qui etiam uolens ad obseruantiam mandatorum & filialitatem Dei quemlibet hominem inducere, ita dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, ubi Thema.

Diligere Deum quia.

Et quia plurimi dolo seducti Sathanae, abijcientes Deum, dicunt se Deum diligere, idcirco ad elidendum illud seductum diaboli mendacium, est notandum, quod diligere Deum est bene bonum uelle Deo. Sed cum hoc sit in uiante actus meritorius, palam est, quod non potest nisi homini manenti in Christo competere, & in quo per gratiam manet Christus. Et hinc dicit ipse Christus Ioan. 15. Manete in me & ego in uobis. Et subdit pro causa dicens: Sicut Palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in uite, sic nec uos, subaudi, potestis facere fructum meritorium, & sic nec bene bonum uelle Deo, nisi in me manseritis per adhaerentiam charitatis. Vnde sicut non potest bene bona loqui malus homo, sic non potest bene bonum uelle Deo, cum pars sit ratio utroque. Et primum ponit Saluator Matth. 12. dicens: Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? quasi dicat nullo modo. Et cum non potest secundum Sanctorum sententiam, illud dictum sanius concipi, nisi quod non possunt mali bene bona loqui. Sicut non potest arbor mala bonos fructus facere. Matth. 7. patet propositum antecedens.

Hominem bene uelle Deo bonum.

Ex isto sequitur quod hominem bene bonum uelle Deo, est hominem bene uiuere, hominem autem bene uiuere, est mandata Dei seruare. Ex quo ulterius sequitur, quod non est possibile, hominem esse in dilectione Dei, uel gratia, nisi mandata eius pro tempore seruauerit, & per consequens, seruiat debite Deo suo. Ista enim conuertuntur: Creaturam Deum diligere, & mandata eius seruare. Nam Ioan. 14. dicit Christus Iesus: Si diligitis me, mandata mea seruate, quasi dicat: hoc faciendo, sequitur, quod me diligitis.

Deum diligit qui mandata eius seruauit. Mandata Dei seruauit qui Deum diligit.

Vnde consequenter quid descriptiue sit Deum diligere ita subdit: Qui habet mandata mea & seruauit ea, ipse est qui diligit me. Et qui de eodem fonte hauserat, hic est Ioannes, qui supra peclus Domini in cena recubuit, 1. Ioan. 2. dicit: Qui dicit se nosse Deum scilicet meritorie, & sic diligere, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo ueritas non est. Patet ergo, quod non est possibile, creaturam Deum diligere, nisi tempore suo mandata eius seruauerit, quia non est possibile creaturam rationalem esse, nisi Deus mandata sibi dederit, nec est possibile, unum mandatum seruare debite, nisi ex commixtione singula seruentur, cum Iacobi secundo dicitur: Quicumque totam legem seruauerit, offendant autem in uno, factus est omnium reus. Quicumque ergo seruauit primum & maximum mandatum, quod est Deum diligere, seruauit mandata. Vnde sequitur e contra: Si quis mandata eius seruauerit, tunc ipsum diligit. Patet Ioan. 15. dicente Christo: Si precepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Et iterum: Vos amici mei estis, si feceritis quae precipio uobis: Et 1. Ioan. 2. In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, scilicet fide charitate formata, si mandata eius seruamus. Et sequitur: Qui autem seruauit uerbum eius, uere charitas Dei in eo perfecta est. Et 1. Ioan. 3. Qui seruauit mandata eius, Deus in eo manet, & ipse in eo. Et 1. Ioan. 5. Hac est enim charitas Dei, ut mandata eius custodiamus.

Clericus fornicarius odit Deum et est filius diaboli.

Ex his uerbis Saluatoris & Euangelistae patet lucide, quod nullus existens in peccato mortali actualiter, pro tunc diligit Deum suum. Et ulterius sequitur, quod omnis Clericus, qui est fornicarius & actualis concubinaris, uel quocunq; deformatus mortali crimine, odit Deum. Quod si dicit: diligo Deum, mendax est, et ueritas in eo non est, cum, ut sic, filius est diaboli, natus ex diabolo. Patet deductio per illud 1. Ioan. 2. Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat, et in hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei, et filij diaboli, scilicet, quia filij Dei non peccant criminaliter, & sic non fornicantur, sed filij diaboli fornicantur & uarijs criminibus implicantur. Et patet ulterius, quod Clerici manifesti concubinarij sunt manifesti diaboli, & occulti in conspectu hominum fornicarij, occulti diaboli, destruentes Ecclesiam Iesu Christi.

Clerici manifesti concubinarij, manifesti diaboli, & occulti fornicarij, occulti diaboli.

Quid

Quod si titiuillus de cætu fornicantium heretico profiliens obiicit, quod non sit peccatum mortale simplex fornicatio, eximatur contra repantem titiuillum uerbi Dei gladius, quo caput tam nefandi sceleris in titiuillo præscindatur. Nam dicit Saluator Matth. 5. Dicitur est antiquis, non machaberis. Ego autem dico uobis, quia omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendū eam, iam machatus est eam in corde suo, ubi magister optimus uolens etiam occasione remotā huius peccati excludere, nō dixit, qui concupierit mulierē, sed qui uiderit mulierē ad concupiscendū eam, iam machatus est eam in corde suo. Nec habet excusationē titiuillus fornicans, quod hoc intellexit Dominus de muliere coniuge aliena. Nam ad Gal. 5. Idem Dominus Iesus per Apostolū distinguit fornicationē ab adulterio, cum dicit: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, adulteriū. Et ostendit quod sit mortale, quia priuans regno gloriæ, ita subdit: Qui talia agunt, regnū Dei nō consequentur. Et 1. Cor. 6. dicit: Nolite errare, quia neq; fornicarij, neq; idolis seruietes, neq; adulteri, neq; masculorū cōcubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnū Dei possidebunt. Sed quia regnū Dei fornicantes clerici modicū reputāt, uolens apostolus compescere eorū luxuriam, ipsos præcipit à communitate Christi Ecclesiæ sequestrare, ut patet de fornicario 1. Cor. 5. ubi mandat, quod congregati in nomine Domini Iesu Christi, in eodem spiritu tradant hominē fornicariū Sathanæ in interitū carnis, ut spiritus saluus fieret in die Domini Iesu Christi. Et infra præcipit dices: Si quis frater nominatur inter uos, et est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cū huiusmodi nec cibū capere. Et hic fundamentū capiens Ecclesia statuit dist. 81. cū inquit: Si qui sunt præbyteri, Diaconi, uel subdiaconi, & qui in fornicationis crimine iaceāt, interdiciamus ex parte omnipotentis Dei et sancti Petri autoritate, Ecclesiæ introitū, usq; dum pœniteant & emendent. Si qui uero in peccato suo maluerunt persequere, nullus uestrum, eorū præsumat audire missam, quia benedictio eorū uertitur in maledictionē, et oratio in peccatū, testante Domino per prophetā: Maledicā inquit benedictionibus uestris. Qui uero huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, idolatriæ peccatū incurrēt. Et grauis peccati pœnā Ecclesia, ponit in eadē distinctione sic: Si quis Episcopus aut presbyter, aut Diaconus post Diaconij sui gradus acceptos, fuerit fornicatus aut machatus, deponatur, & ab Ecclesia proiectus inter laicos agat pœnitentiā. Ecce grauis pœna fornicantiū Clericorū, sed grauior secundū apostolū, quia regnū Dei nō possidebunt, et supergrauatur Apoc. 21. Vbi dicit: qui sedebat in throno, scilicet Iesus Christus: Fornicatoribus pars erit in stagno ardenti igne et sulfure, quod est mors secunda.

Simplex fornicatio utrum sit peccatum mortale.

fornicantium clericorum pœna.

Et patet fornicantis Clerici pœna quadruplex: Prima, à Christo & sic à tota Trinitate sanctissima, & ab Ecclesia separatio. Secunda, ab officio diuino debita suspensio. Tertia, regni cœlestis priuatio. Quarta pœna ppetua inflictiō, igne sulfureo inflammāte, quas pœnas ò clerice si satagis effugere, fornicationē fuge tā corporis, q̄ ipse spiritus, quia sic diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et in tota mēte tua, ubi Thema.

Fornicantis Clerici pœna quadruplex.

Quia dictum est, quod Clerus est pars optima Ecclesiæ, dum efficaciter præstet eius officio, quod incumbit. Ergo primum & maximū mandatū legis Domini supra partes Ecclesiæ reliquas debet excellentius adimplere. Nam ei quasi legis doctori querenti à Domino, quod est mandatū magnū in lege, præcipue supra alios, respondetur: Diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et in tota mēte tua, hoc est, inquit, legislator Christus Iesus, primū et maximū mandatū, primū, quia quicquid homo didicerit, illo prætermisso, disciplina ne dum est superflua, sed nociua, et est maximū preciositate, quia illo seruato, non est cōpossibile in uia hominē deificare, cū diligentibus Deū, filialiter, omnia cooperantur in bonū. Ro. 8. Quia ergo est primū et maximū mandatū, igitur primo & maxime diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Hæc ē enim lex prima, maxima, optima, naturalissima, principalissima, facilissima, breuissima et utilissima, à qua omnis peccans mortaliter apostatat, cum quælibet recidiuatio Christiani in crimine apostasia cōmuniter censeatur, modo quo loquitur Ecclesiasticus Ca. 19. Vinū & mulieres apostatate faciunt sapientes. Vnde in Cano. 3. questio. 4. Omnes transgressores sponte legis eiusq; uiolatores apostatate nominantur. Cū ergo omnis peccans mortaliter offendit in totam legem. Iacob 2. Sequitur, quod omnis peccans mortaliter, ab ordine apostatat Christiano. Est enim inobediens & rebellis, cū primo angelo apostata suo, capiti et Domino Iesu Christo. Et confirmatio est beati Augustini in De uita & moribus Clericorū, Sermone secundo: Clericus inquit, duas res professus est: Sanctitatem, et cōmuniter uiuendi societatem, à qua societate si ceciderit dimidius, & ipse cecidit, ergo multo magis si ceciderit à sanctitate peccans mortaliter. Et huic & maximo mandato, imò legi Christi optima: Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua contraueniens, uilior apostata est censendus.

Apostasia.

Quare examinemus nos ipsos ò clerici an simus Christianæ legis apostatæ, qui non solū uno percussi crimine, sed supra primū apostatā sumus carnis sceleribus irretiti. Nā secundū Saluatoris prophetiā Matt. 24. Nunc abundauit iniquitas, quia refriguit charitas in nobis. Refriguit namq; Ecclesia, quæ in apostolis et martyribus fuit ualde seruens et calida, quia pleni spiritus sancto despiciebant seipsos, & spiritualia temporalibus præponebāt, dicentes, Act. 6. Nō est æquū nos relinquere uerbū Dei et ministrare mēsis. Qualiter etiā seruebat apostolus qui dixit: 2 Co. 12. Non quero que uestra sunt, sed uos. Postmodū quasi in diuitijs cumulata Ecclesia cœpit in clericis amor Dei tepescere, & inardescere cupiditas, et tunc temporalia spiritualibus præponebant, resellentes illud salutiferū uerbū Domini Mat. 6. Nōne anima plus est quā esca, et corpus plus quā uestimētū? primū ergo querite regnū Dei, et hæc omnia adijciētur uobis. Temporib; aut nostris amor Dei et proximi adeo, prohdolor, refriguit, q̄ nulla est quasi

Ditata Ecclesia cœpit amor Dei in clericis tepescere.

quasi de spiritualibus cura, cum tota nostra sollicitudo & intentio mundi stercorebus sit immersa. Nam iuxta uerbum Apostoli Philip. 2. Omnes quæ sua sunt querunt, & non quæ Iesu Christi.

Bernhardus.

Et hinc motus beatus Bernhardus ad Eugenium Papam dixit: De precio escarum & numero panum, cum ministris quotidiana est discussio. Raro admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum, cadit asina & est qui subleuet, perit anima, et non est qui reputet. Et Chrysostomus dicit: Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes, si uero contra mandata Dei fecerit, nullus murmurat contra eum. Ratio: quia plus seruiunt Mammonæ propter auaritiã, quàm Christo Domino propter beatitudinem consequendam. Cum à minore usq; ad maiorem omnes auaritiæ student, Hier. 6. Nam prochdolor seculares Domini fingentes egentiam excoriant suos subditos per collectas. Et quod destabilius est, Prælati Ecclesiæ, ut Papæ, Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Abbates, Præpositi, Canonici, & eorum satellites fingentes indigentiam, extorquent diabolice subsidia, secundum suum iniquum placitum, ubi nec lex diuina obligat, nec humana, cum prodigalis ac uoluptuosa patri monij Christi consumptio sit in causa. Vbi rogo est lex diuina, ut talis Prælatas taxet populum suum? sed uerius populum Domini sine demerito, quem debet sub pœna damnationis defendere, loco defensionis spoliat, Martyris & iuramentis angarians sicut tortor. Certe clamat Dominus per Micheam cap. 3. Audite Principes Iacob, et duces domus Israel: Nunquid non uestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui uolenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confrugerunt, & conciderunt sicut in lebetis, & quasi carnem in medio ollæ. Pro quo factis in pœnam eorum subdit Propheta: Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.

Exactiones principum secularium & Ecclesiarum qui populum exspoliant.

Sed tertio, quod detestabilissimum est, religiosi possessionati, qui à uulgo uocantur diuites siue pingues Domini, Monachi, ex auaro fundamento fraternitatis fabricant literas, quibus magnificant sua opera, contra illud Saluatoris Luca 17. Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt uobis, dicite serui inutiles sumus. Illas autem literas solum tribuunt diuitibus, facientes eos participes suorum operum, ut inclinati eorum conuentibus, uentres et buccas rubentes reficerent, impleverint marsupia, & prædia augmentarent.

Monachi literarum suorum uenditione diuites spoliant.

Secundo ex auaro fundamento mendicant à Papis, ab Episcopis, & à secularibus Dominis incorporationes Ecclesiarum, sed duntaxat pinguium, fingentes in globo sui collegij maximam paupertatem, quæ incorporatione ex deuota auaritia eorum proueniens (quantos Phariseos siue religiofos destruxerit, qui naturaliter diuisi sunt à sæculo, & ut cancer de cauo in seculum serpunt retrograde) non solum Deo est cognita, sed eorum conuentibus rixas infinitas inducens & odia, etiam communi plebeculæ argumentis super terram gradientibus, ac scandalis publice demonstrata.

Mendicant incorporationes Ecclesiarum pinguium in suas rixas.

Et quarto, superest meridianum demonium, scilicet quod petitores questuarij uel questores & mendicantes quamplurimi per monstruosa festa, miracula, fraternitates, mendacia, & ludicra, Nunc ex indulto, nunc surreptitice per mendicationem spoliant omnem plebeculam, totam Christi Ecclesiam perturbantes. Et hinc beatus Bernhardus super cantica Sermonem 21. dicit: quod quelibet talis detestanda est mendicatio, quæ ferè totum mundum, sed præsertim regnum Boemiæ, pro spoliandis pauperibus adimpleuit. Sed quæ causa, nec uoluptuosa consumptio in quibusdam, & auara retentio in alijs sub amicitia ad Christi Ecclesiam hypocritice palliata, quam dolosam amicitiam speculator Christi Ecclesiæ perspicuus oculo interiori considerans, Beatus Bernhardus super cantica Sermonem 77 dicit: Non sunt omnes amici sponsæ, quos hodie huic sponsæ assistere cernis, pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt querunt, ex omnibus charis eius diligunt munera, nec possunt diligere Christum, qui dederunt manus suas Mammonæ, intueri quomodo incedunt nitidi, ornati, circumamicti uarietatibus, non tanquam sponsus, sed tanquam sponsa de thalamo suo. Sed unde hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, tantum uestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem uasorum aureorum & argenteorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est, quod illa pauper & inops nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, & exanguis, Propter hoc, non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere, non est instruere, sed prostituere, non est pascere gregem, sed mactare & deuorare, dicente illis Domino: Qui deuorant plebem meam, sicut cibum panis. Et infra: Quæ dabis mihi de numero Propositorum, qui non plus inuigilet subditorum uacuandis marsupijs, quàm uicij extirpandis. Vbi qui orando flectant iram, prædicent annum placabilem Domino. Et post pauca: O utinam tam uigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram. Vigilarent utiq; seruantes sollicitè sponsam sibi creditam, imò euigilarent pro semetipsis, nec sinerent dici de ipsis: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt et steterunt. Hæc Bernhardus per totum.

Impiis et mendicationibus suis omnem plebeculam spoliant Monachi.

Bernhardus de luxu sacerdotum.

Quapropter o uos omnes, qui transitis humiliter per uiam Iesu Christi Domini attendite horrendum flagitium, intensum facinus. Virgo sponsa Christi ab illis prostituta ad mechandum nequiter, quibus ad custodiendum fideliter est commissa. Principes populorum quidem non sunt hodie congregati cum Deo Abraham, sed conuenerunt in unum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, qui clamat clamore præualido: O uos omnes, qui transitis per uiam attendite et uidete si est simile. Ego uagior in pannis, Clerus gaudet in scarlaticis uestimentis. Ego

is. Ego spolijs uestitu pro eo proprio, ipse in apparatu ex elemosina superbit regio. Ego agonisans sanguine sudore, ipse in delicatissimo balneo delectatur. Ego pronocans in obprobrijs & conspuitionibus, ipse in conuiujs, & luxurijs & ebrietatibus. Ego ducor sub cruce ad mortem fatigatus, ipse ad requiem inebriatus. Ego in cruce affixus clamo, ipse sterit in mollissimo lecto. Ego animam meam ex charitate maxima pro ipso trado, ipse nec implet mandatum charitatis, ex debito quo sibi dixeram: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua, quae fuerunt uerba pro themate iam assumpta.

Autithesis uita Christi & Cleri.

In quibus uerbis ostenditur, primo Saluatoris potentia & bonitas, ut sit filialiter timendus, & amandus, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum. Secundo seruitoris Dei instructio, & capacitas, ut sit dilectus Deus supra omnia pro beatitudine finaliter obtinenda cum dicitur: ex toto corde tuo, & ex tota tua anima tua, & in tota mente tua. Dixi primo quod in themate ostenditur Saluatoris potentia & bonitas, ut sit timendus filialiter & amandus. Nam quia Dominus, ideo potens, & quia Deus, ideo bonus, ecce potentia & bonitas, quia ergo Dominus potens, imò omnipotens, idcirco filialiter est timendus. O clerice time istum Dominum, ad te enim dicit Malachie 1. Si ego Dominus, ubi timor meus? Cum autem sit Dominus, quia rex regum & Dominus Dominantium Apoc. 19. Habet potentiam summe puniendi, quia igne eterno Mat. 25. Ite inquit maledicti in ignem eternum. Et in quantum Deus, habet notitiam omnis mali, & in quantum tuus, habet causam tui, & quia Dominus Deus tuus, habet ubiq; potentiam tui, ubiq; notitiam, & ubiq; puniendi iustitiam, quibus assistentibus, non est possibile quin puniat, cum delinquit. Quapropter Deum time, et mandata eius serua. Ecclesiast. ultimo, quia sic diliges Dominum Deum tuum. Et cum sit Dominus in ipso sperantium summe conseruatiuus, et bene operantium summe premiatiuus, ergo spera in eo & fac bonitatem, quia sic diliges Dominum Deum tuum. Quia uero est Dominus Deus tuus, à te Clerice filialiter est amandus. Ama igitur ipsum: quia Dominus & pater tuus summe bonus. Moueat te huius patris & Domini bonitas, quia nihil à te exigit, nisi quod sit tibi utile, cum ratione magnitudinis sui dominij, non ad sui indigentiam, sed te ad tui prodesse habet seruum.

Dominus Deus.

Est secundo tuus pater et bonus Dominus, quia non potest indebite tardare te in premio, sed praue nit dando praemijs plus quam de condigno poteris promereri. Tertio est domiuus Deus tuus bonus, quia contra omnes resistentes possibiles te defendit. Quia ergo summus dominus, pessa eius potentia, ut timor filialis te à malo retineat. Et quia Deus, Dei bonitate immensam considera, ut amor castus te ad bonum alliciat, quia tunc diliges Dominum Deum tuum. Ex his iam dictis patet, quia timor & amor Dei filialis sunt mensurae praecipuae totam uitam meritoriam hominis mensurantes, à quibus qui clerici deficiunt (dicente propheta Psalmo 13. Corrupti sunt omnes, simul inutiles facti sunt, & non est timor Dei ante oculos eorum) patet, quod à uita beatitudinis meritoria quam plurimi deciderunt.

Pater & bonus Dominus.

Et ante omnia perspicaci oculo est uidendum si Papa, Cardinalis, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Diaconus, Archidiaconus, Praeposito, Decanus, Confessor, uel Plebanus, ouem imò spirituale filium per luxuriam interficit. Si corrupta per fornicationem propria sumptuose de Christi patrimonio despiciat, si preciosius quam pictam imaginem decorat uestibus, si pascit abundantius, quam Christi pauperem, imò quam patrem proprium, aut matrem propriam. Videamus etiam, si Benefici Ecclesiae annos sub uocata dispensatione uendant, si officia cum Caypha conueniant, & sic absolutiones uendant carius, ut quod gratis accipiunt dare gratis pro Deo non presumant. Videamus etiam, si Benefici, ut Archidiaconi & Cleri correctores ceteri bene uiuentes, subditos rite de crimine corripiant, an crimine fetentes proprio, non uisitant, ut emendent, sed captis muneribus licenciant laxius ad peccandum. Prospiciamus ulterius, si plebani offertoria caucionat, offerre compellant pauperes, ipsis (nisi obtulerint) sepulturam impie prohibentes. Reuera illi non sepelirent cum Tobia propter Deum suum proximum, cum petenti campum denegant alienum. Requiem in solemnitatibus Apostolorum alijsq; ut die Dominico contra constitutionem cantant, & singulis quatuor temporibus die immediate sequenti plura quam decem Requiem cantantes syncopant & appocopant, cuius causam irridendo populus etiam grossissimus scit palpate, cantus etiam non solum histrionicos sed tortuosos etiam in Christi Euangelio ordinant, ut aures populi ad prurimum prouocent, & haec dissolutio uocatur ab ipsis Ecclesiae deuotio.

Multiplicia Cleri uicia taxantur.

Testatur autem eis deuotus Bernhardus dicens: Cantat quidem magis ut placeant populo quam Deo. Non cantant in choro cum Maria sorore Moysi, sed in palatio cum Herodiade, ut placeant cum discumbentibus & Herodi, et ut in grediamur (inquit) huius Saryrae latitudinem. Vnde quaeo in Ecclesia tot organa, tot cymbola, tot monstruosa cantica? Et infra dicit: Stans inde populus miratur attonitus lasciuias cantantium, gestulationes meretricias, uocum altercationes, & haec ridiculosa dissolutio uocatur religio, cum non uideatur ad oratorium, sed ad theatrum uenisse populus, nec timetur illa tremenda maiestas cui assistitur, ubi sanctissimus ille sanguis libatur in calice, aperiuatur caeli, assistunt angeli, & ibi caelestibus terena coniunguntur. Haec Bernhardus.

Dissolutio, uocatur deuotio.

Videamus etiam si facti sunt pincernae plebani, & religiosi monachi. Testentur laici, qui sunt in suis thalbernus propter eos uarie impediti, & quid si querunt absentias, ut exerceant liberius in Praga, aut alibi meretricias nequitas sub fuce studij. Sed corrupti & abominabiles facti sunt in studijs suis, dicit Psalmista, nec redeunt à studijs suis ad residentiam à peccato, quia Neemia 9. dicitur: Non sunt reuersi à studijs suis peccatis, quia uisuras exercent, negotiatores sunt, confessiones produnt, taxillis ludunt. Ecclesias ut ocidentur conueniunt, exinde rixas procurantes populi turbatiuas, filios spiritualiter suffocant, carnaliter generant, ut essent

Plebani & Monachi princerna & meretrices.

Perueritas & turpitudine Cleri propter coloribus aet pingitur.

Spurij sacrificiorum. *essent testes eorum, quia pactum iuramenti Domino non seruauerunt, spiritualement edificacionem, quae saluat animas, nihil curant. Sed ut augmentent census, aut diuitias, ex quibus eorum posteri luxuriantur, et superbiunt uberiorius, optime se facere existimant, & pro eis subditos auare inducunt, ut etiam filijs praetermissis, parentibus, & consanguineis pauperibus, pro ipsis abundantibus ordinent testamenta: Tricesimas innumerabiles sibi ordinant, quas perpetim non explebunt, commutationes illicitas & fraudulentas pro beneficijs tanquam pro equis exercent cum pecuniarum addito, ut post aeternaliter doleant in tormento.*

Monachi genus hominum monstrum. *Et quid de Altaristis, Capellanis, & monstruosis monachis, qui cum multa iam dicta exercent, & chorreas intrant publicas ducti patre diabolo, cum iam semimortui debeant peccata populi & propria desicere. Reuera Beati Bernhadi, prochdolor, uox impletur: Qui monachi demoniaci, qui Conuersi peruersi, qui Praesbyteri Sadducaei, & clerici facti sunt haeretici. Vnde per hoc impletur lamentum Hieremiae Treño 1. Egressus est a filia Syon, id est, a militante Ecclesia omnis decor eius, quia dispersi sunt lapides Sanctuarij, id est, Ecclesiae clerici, incedendo per uiam uanitatis. Et Treño. 4. Qui uescabantur uoluptuose, id est, qui olim spiritualibus bonis delectabantur, interierunt in uijs, de uanitate in uanitate ambulantes, & qui nutriti sunt in croceis, id est, in donis spiritus sancti, amplexati sunt stercora, id est, adhaeserunt temporalibus, & sic secundum Psalmistam, disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terrae, scilicet abiecti, foetidi & immundi. Endor autem ignis generationis interpretatur, & significat ignem gehennae, quem sibi edificant, in ipso ut ardeant sine fine. Hoc autem abhorrens o clerice, Diliges Dominum Deum tuum, quia in ipso est potentia & bonitas, ut sit timendus filialiter & amandus. Tantum de primo.*

Modi diligendi Deum tres. *Dixi secundo, quod in uerbis propositis tangitur Seruitoris Dei instructio, & capacitas, ut sit dilectus Deus super omnia pro beatitudine finaliter obtinenda, cum dicitur: Ex toto corde tuo, ex toto anima tua, & in tota mente tua. O quam bene Christi discipulus, magistro qui omnia nouit antequam fiant, Deum diligere instruitur, cum modus diligendi Trinitatis sanctissimae in uerbis propositis compensatur. Diliges inquit Saluator religiosiarcha & magister optimus ex toto corde tuo, & ex toto anima tua, & in toto mente tua, quasi dicat: quod modi diligendi Deum tres sunt, qui tribus personis aeternis conueniunt. Nam, quia est Dominus, sic Deus pater, Diliges ex toto corde tuo. Et quia Deus, sic filius, Diliges ex tota anima tua. Et quia tuus, sic Deus spiritus sanctus, Diliges in tota mente tua. Sic ergo super omnia diliges Dominum Deum tuum, Diliges etiam ex toto corde tuo, & sic fortiter Deum patrem propter potentiam. Diliges ex tota anima tua, & sic prudenter, Deum filium propter sapientiam, & diliges in tota mente tua, & sic dulciter, Deum spiritum sanctum propter charitatis dulcedinem. Diliges iterum Dominum ex toto corde tuo, & sic fortiter, ne te opprimat aduersitas. Diliges Deum ex tota anima tua, & sic prudenter, ne te seducat Sathanae fallacitas. Diliges Dominum Deum tuum, in tota mente tua, & sic dulciter, ne te alliciat carnis & mundi blandicies. O dulcescat tibi sapientia Christi, ne seducaris spiritu mendacij & erroris. Et luceat tibi ueritas Christus, ne aduersitatibus fatigeris, confortet te uirtus Dei, ne oppugnationibus opprimaris, qui tunc diliges fortiter, prudenter & dulciter Dominum Deum tuum, & per consequens Dominum Iesum Christum, quem qui non sic diligit ut dictum est, est ueraciter anathema, dicente apostolo 1. Corinth. 16. Qui non amat Dominum Iesum Christum, anathema sit, inquit apostolus. Anathema sit, id est, excommunicatus, separatus perditus, uel damnatus.*

Multi Clerici excommunicati. *Et patet ex opere, quoniam multi clerici sunt excommunicati, & a Christo Domino separati, imò perdit, & nisi penituerint, aeternaliter condemnati, primo quia non diligunt Dominum fortiter, ut se pro grege Domini fortiter opponerent iuxta uerbum Domini Ioan. 10. Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Vnde audient potentem Dominum dicentem, Ezech. 13. Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis uos murum pro domo Israel, ut staretis in prelio in die Domini. Vbi glosa: Ex aduerso ascendere, est pro defensione gregis uoce libera huius mundi potestatibus contraire. In die Domini in prelio stare, est prauis decertationibus ex amore iusticiae resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid aliud est, quam tacendo terga praebuisse?*

Clerici anathema. *Secundo Clerici sunt anathema, quia non diligunt Deum prudenter, stulte agentes. Nam Hierem. 10. Dicit Spiritus Domini: Stulte egerunt pastores, & Dominum non quaesierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est. Stulte inquit egerunt, quia propter ambitionem fructum beatitudinis meritorium perdidērunt. Stulte egerunt, quia propter uenationem auum & ferarum salutem neglexerunt animarum, paratiores ad dandum panem de elemosina cani quam pauperi. Stulte egerunt, quia plures canes quam Christi pauperes nutrierunt. Sagaciores ad indagandum uestigia leporis, quam culpam debilem peccatoris. Etiam stulte egerunt, dicentes, tamen scit iam Deus, qui sunt sui, qualitercumque uixerimus oportet quod saluemur, uel oportet quod damnemur, ex quo stulte stultificati, Dominum non quaesierunt, eo quod non intellexerunt.*

Venationes sacrificiorum. Epicurijmus sacrificiorum. *Stulte egerunt pastores, quia Symoniam exercuerunt in adipiscendo beneficia, & uendendo Gaeziticæ & Scariothice sacramenta. Primi, scilicet adeptores Symoniaci, stulte egerunt, iuxta illud dictum beatisimi Papae Gregorij sumptum de Registro & positum 1. questione 1. Stolide resellentes: Presbyter si Ecclesiam per pecuniam obtinuerit, non solum Ecclesia priuetur, sed etiam sacerdotij honore spoliatur, quia altare & decimas & spiritus sanctum uendere uel emere, Symoniacam haeresim esse, nullus fidelium ignorat. Vnde benedictio ei in male dictionem*

ditionem conuertitur, quia ad hoc, ut fiat hereticus promouetur. Et in locis praallegatis: Si iniusto cordis amore, uel sordidis precibus oris, siue comitatu, siue manuali seruitio, siue fraudulento munusculo Episcopalem seu Sacerdotalem non lucro animarum, sed inanis gloriae auaricia fultus, dignitatem acceperit, & in uita sua non sponte reliquerit, eumq; in aspera poenitentia mors non inuenierit, procul dubio in aeternum peribit. Ecce haec redum Simonis poenitentiam gloriosam.

Secundi, scilicet uenditores Giezytae et Scariothite, stulte egerunt sanctam et generalem constitutionem Ecclesiae contemnentes, quae ponitur 1. quest. 1. Dicitur est (inquit sancta Synodus) solere in quibusdam locis pro receptione Chrysmatis nummos dari, siue pro Baptismo, siue communionem, Haec Symoniaca haeresis detestata est sancta Synodus, & anathematizauit, ut de caetero nec pro ordinatione, nec pro Chrysmate, Baptismo uel Balsamo, nec pro sepultura uel communionem exigatur statuit, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur. Sed quia contra iam dicta, & a spiritu sancto Ecclesiae tradita, surrepunt Antichristi gloriose, nunc labore, nunc pastu, nunc consuetudine palliata: Ideo illis Innocentius Papa respondit in uno uolumine, & ponitur post eum 1. questione 3. cap. finali: Si quis, inquit, Praebendas, uel Prioratum, uel Decanatum, uel promotionem aliquam Ecclesiasticam, seu quodlibet Sacramentum Ecclesiasticum, utputa Chrysmata, uel oleum sanctum, & consecrationes altarium, uel Ecclesiarum, interuentore execrabili ardore auariciae per pecuniam acquisiuit, honore male acquisito careat, & emptor atq; uenditor & interuentor nota infamiae percussantur. Et sequitur ad propositum contra Antichristi gloriose: Nec inquit pro pastu, nec sub obtentu alicuius consuetudinis ante uel post aliquid exigatur, uel dare praesumat, quoniam Symoniacum est. Et patet ex ista sancta lege fundata in Christi Euangelio, quod in beneficijs & Sacramentis mercantibus non restat excusatio competens, nisi sit excusatio ad excusandas excusationes in peccatis.

Stulte etiam egerunt Pastores, Sacerdotes, Magistri, Doctores, qui totum suum studium & scientiam in auaritiam conuerterunt, quam ipsi principaliter debent reuocare, & uelut exemplar clarissimum & rectissimum aliorum praepone oculis ducendo illos a uicijs in uirtutes. Sed heu multiplicibus ex auaricia beneficijs tenebrati, et curuati in conscientia, alios docuerunt auaritiam, uerbo pariter & exemplo, & secundum Apostolum Romanos 1. Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt sequentes auaritiam, quod est Idolorum seruitus, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se sapientes esse, stulti facti sunt. Et hinc Apostolus uoce Esaie 1. Corinth. 1. exclamat flebiliter dicens: Vbi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor saeculi? Vbi inquit, sapiens, id est Theologus, qui diuinam legem & sic altissimam sapientiam perscrutat? Vbi etiam Scriba, id est, Iuris Doctor, qui traditiones humanas quotidie mendatatur? Vbi conquisitor saeculi, id est, artista, qui conquirens omnem sermonem reedificat, ut Grammaticus: omnem loquendi leporem ornatum decorat, ut Rhetoricus: omnem ueritatem discutit, ut Logicus: omnem numerum proportionat, ut Arithmeticus: omnem numerum sonorum in consonantiam redigit, ut Musicus: omnem cursum astrorum & eclipses praedicit, ut Astronomus: latitudinem terrae & ambitum, & caeli altitudinem, ut Geometricus, dimittitur. Certe stulte egerunt, si non Deum super omnia quaesierunt. Vbi ergo sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor saeculi? quasi dicat: Non sunt in lege Domini, quia stulte agentes, Dominum suum super omnia non quaesierunt, & sic confusi sunt. Nam sequitur ibidem, Roman. 1. Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes. Stulte etiam egerunt Pastores, Episcopi, ignaros, iuuenes, uagos, pessimos in moribus in multo numero consecrantes, propter quod turbatur Ecclesia, Sacerdotium contemnitur, & latrocinium nefarie perpetratur.

Quo ad primum dicit beatus Bernhardus: Insolentia Clericorum ubiq; turbat & molestat Ecclesiam. Alienis nimirum laboribus locupletantur Clerici, fructus terrae comedunt absq; pecunia, & prodijit quasi ex adipe iniquitas eorum. Qualiter autem insolentia Clericorum turbat Ecclesiam & turbauit, qui scire satagit, legat Chronicas & dicta Sanctorum, ac uidenti oculo prospiciat, & plane reperiet, quod tota Ecclesia scissio a Clericis propter eorum auaritiam emanauit. Quis enim Saracenorum schisma constituit nisi Clericus? Quis Graecorum nisi Clericus? Quis Latinorum nisi Clericus? Et quis Romanum nunc partitur Imperium nisi Clericus? Et hinc dicit beatus Hieronymus, magnus & uerus Historiographus: Veteres, inquit, scrutans historias inuenire non possum ita scidisse Ecclesiam, & de domo Dei populos seduxisse, praeter eos, qui Sacerdotes Dei positi sunt, & Prophetae, id est, Speculatores. Haec Hieronymus.

De secundo, scilicet, quod propter Sacerdotum multitudinem sacerdotium contemnitur, dicit beatus Hieronymus in Epistola ad Euandrum Presbyterum: Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contempnibiles facit. Et beatus Bernhardus in quodam Sermone dicit: Propter inordinatam multitudinem Sacerdotum, Sacramentum nostri redemptoris contemnitur, Deberent enim esse Vicarij Petri, & successores Apostolorum, & sunt socij Iudae, & praebambuli Antichristi. Accessit itaq; Petrus ad Christum, accessit & Iudas, accesserunt discipuli, accesserunt & milites crucifigentes, accedunt hodie mali Sacerdotes, qui ea quae offerunt in mensa Domini, offerunt in mensam diaboli, scilicet Sacramentum uenerabile polluentes. Et hinc Malachiae 1. ait

F Dominus:

Venditores Symoniaci.

Clerici alienis laboribus locupletantur.

Romanum Imperium partitur Clerici.

Sacerdotium contemnitur propter multitudinem Sacerdotum.

Sacerdotes misti a Papa, sunt Iudae et praecursores Antichristi.

SERMO M. IOANNIS HVS

Dominus: Ad uos o Sacerdotes, qui despiciatis nomen meum, & dixistis: in quo despeximus nomen tuum? offerretis super altare meum panem pollutum. Vbi Hieronymus: Corpus Christi pollutum, qui indignus ad altare accedat. O utinam hæc perpenderet Sacerdos Iudæo perfidior, Iuda Scarioth crudelior, Pagano deterior, omniq; uoraci bestia uoracior, non utiq; dignus Dei Presbyter, sed Lucifer, non Christi, sed Antichristi minister, qui non puro, sed ex crimine, corde fetido, ore polluto ex meretricis osculo, mente infecta, manu sacrilega audet temere, sed sibi in iudicium, uenerabile Sacramentum contingere, & plus illicite quam bestia, & Scarioth, in quem intrauit Sathanas, deglutire. Ach quod non ueretur Trinitatem sanctissimam presentem, nec Christum Dei filium tantum scelus misericorditer ferentem, nec timet Angelum Domini, qui secet eum medium, ut crepando cum Iuda medius confestim a d infernum decidat, igne inextinguibili perpetim exarsurus.

Sed nunquid iam dicta pauebit Clerus, & aget dignam de peccatis poenitentiam? cuius peccatum quasi indelebiter est inscriptum, iuxta illud Hiere. 17. Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo, & ungue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum. Iuda, quod interpretatur confitens, significat Clerum, qui dicit se nosse Deum præ alijs. Sed nunquid est falsior confessio, quam tam mendaciter falsis negat? Ideo nimirum dicitur peccatum Cleri profunde & late indelebiter esse scriptum. Quis enim potest corda tam late cauterisata sanare? nobis est impossibile, cum Clerus sit cor populi, quod nõ licet (ut inquit) attingere, Cum remurmuras, Clerus dicit, non licet Cleri presentis coram populo saniem criminis extergere, & uulneratum cor uerbo Dei tangere, & sic charitatuam infundere medicinam. Vnde coram populo se Clerus impudice crimine uulnerat, uulnus portat publicè, sed medicinam purgatiuam criminis respuit, quasi phreneticus et uesanus. O Clerice non sic, sed cor durum mollifica, cesuram patere medici, uerbi sanantis medicamentum recipe, et charitatis infundetur oleum,

& tunc diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua, præstante Iesu Christo, Domino Deo eterno, homine nato ex uirgine, in seculorum secula benedicto, Amen.

Sermo